

## CAPUT IV.

*Præcipua exponuntur argumenta, quæ veram et divinam esse Religionem Christianam demonstrant.*

## ARGUMENTUM PRIMUM.

*Ex Christi et Apostolorum Miraculis.*

**I**LLA Religio divina est, quam Christus ipsius institutor veris confirmavit miraculis: atqui Christus nostræ Religionis autor eam, etc. ut patet ex Novi Testamenti libris. Jubente enim Christo, aqua in vinum convertitur, morbi vel contumaces auferuntur, cæci vident, surdi audiunt, muti loquuntur, claudi ambulant, paralytici sanantur, dæmones eiciuntur, mortui ad vitam redeunt, panes multiplicantur, horrenda maris tempestas sedatur; Christo moriente, velum templi scinditur, terra contremiscit, saxa confringuntur, monumenta reserantur, Sanctorum corpora suis è tumulis prosiliunt, sol insolitam eclipsim patitur. Ipse Christus mortuus ad vitam sese revocat, cælos conscendit, Spiritum Sanctum suos in Discipulos effundit: atqui stupenda hæc opera vera sunt miracula, siquidem constantissimis naturæ legibus adversantur.

Nec confugiant Deistæ ad incognitas quasdam naturæ leges, ex quibus ortum habuerint hujusmodi prodigia. Non magis enim ridiculè diceretur Virgilio carmen ex aliqua lege naturali et incognita prodüisse. Præterea Christus variis in locis, variis temporibus, variisque modis innumera edidit miracula. Necesse igitur fuit ut leges illas, in Naturæ sinu reconditas, perfectè noverit, pro-

suoque arbitrio ad quemlibet usum flectere poterit: atqui tanta cognitio, tantaque potentia verum esset miraculum, intimumque cum Deo commercium demonstraret.

Apostolice etiam, mirabiles illi Christi præcones et Vicarii, novum Religioni Christianæ splendorem addiderunt, insignia patrando miracula, quæ breviter simul et eleganter sic describit D. D. de Montazet: *Au nom de J. C. et d'une seule parole, ils guérissent les Boiteux de naissance (Act. 3.); ils commandent aux Paralytiques de se lever, et leur parole puissante fait elle-même ce qu'elle ordonne (Ibid. cap. 9.); ils frappent d'aveuglement les Séducteurs, et les faux Prophetes. (Ibid. 13.); la mort même respecte en eux l'empire souverain de celui qui est la résurrection et la vie (Ibid. 9.); ils percent d'un regard les plus sombres replis de la conscience; et la foudre n'est pas plus prompte que la mort, dont ils punissent le mensonge et l'hypocrisie (Ibid. 5.); leur ombre même rend la santé aux malades (Ibid. 14); et tous ces prodiges sont si frappans, que les Païens eux-mêmes prennent les Apôtres pour des Dieux, et veulent leur offrir des Sacrifices. (Instr. Past.)*

## Solvuntur objecta.

Obj. cum recentiore Deistâ: Hæc probatio non valet, quam Christus ipse adhibere noluit in suæ missionis et doctrinæ confirmationem: atqui Christus ipse noluit suæ miracula adhibere in, etc. ergo, etc.

Resp. Neg. min. Contra ipsam evidentiam pugnat adversarius, vixque potest malæ fidei notam effugere: ex innumeris quippè Scripturæ locis comperit est, Christum ad sua opera vel miracula confugere, ut suæ missionis et doctrinæ veritatem confirmet: *Ego habeo, inquit, testimonium majus Joanne. Quodnam autem illud est? Ipsæ opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me,*



quia Pater misit me. (Joan. 5. 39.) Phariseos ipsi fidem detrectantes sic increpat: Si mihi non vultis credere, operibus credite. (Ibid. cap. 10. v. 38.) Sic etiam narratur: Circumdederunt eum Judaei, et dicebant ei: Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam. Quid respondet Christus? Opera quae ego facio in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me. (Ibid. 24. et 25.) Sexcenta hujusmodi loca praetermittimus.

Inst. 1°. Consueverat Christus ab iis fidem exigere, in quorum gratiam erat miraculum operaturus: Fides, inquit caeco, te salvum fecit; (Luc. 18. 42.) mens igitur ipsi non fuit miraculis fidem adstruere.

Resp. Neg. conseq. Cum enim Christus multa jam edidisset miracula, quae divinam suam missionem satis superque demonstrabant, potuit fidem ab iis exigere, pro quibus sanandis prodigia erat facturus.

Inst. 2°. Non semel prohibuit Christus, ne aegroti quos sanaverat, illud miraculum evulgarent: ex. g. duobus caecis quibus visum restituerat, sic comminatur: Videte ne quis sciat; (Matth. 9. 30.) ergo suam missionem et doctrinam noluit miraculis confirmatam.

Resp. Neg. conseq. Christus quibusdam aegrotis praecipit, ut sanationis beneficium silentio premerent; ergo nunquam voluit suam doctrinam miraculis certam facere: egregia sane consequutio, et scriptore paradoxis assueto dignissima! Nonne alia bene multa miracula Christus patrauerat, quae hominum oculos et aures effugere non potuerunt? Nonne ex dictis constat, eum opera sua in submissionis confirmationem protulisse! Discipuli Joannis Christum sic interrogant: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? in ipsa autem hora multos curavit a languoribus, et plagis, et spiritibus malis, et caecis multis donavit visum; et

respondens dixit illis: Euntes renuntiate Joanni quae audistis et vidistis, quia caeci vident, claudi ambulat, etc. (Luc. 7. v. 20, et seq.) Nonne ibi Christus, ut sexcentis in locis, miracula in missionis suae testimonium allegat? Siquando igitur iis quos sanaverat silentium imperaverit, exemplo suo nos edocere voluit, citra necessitatem non evulganda esse nostra beneficia; ne tacita superbiae labes ea vitiet et corrumpat.

Inst. 3°. Christus miracula postulantibus aliquando denegavit, ut Herodi, Phariseis, suisque popularibus; ergo miraculis suam missionem et doctrinam testari noluit.

Resp. Neg. conseq. Potuit enim Christus suam missionem et doctrinam miraculis testari, et tamen nonnullis ea postulantibus denegare. 1°. Quia pravis affectibus hoc beneficio prorsus indignos sese praebuerant. Noverat quippe Christus eos miracula non quaerere, nisi, vel ut vanam curiositatem pascere, vel ut inde insidias ipsi moliendi occasionem arriperent. Sic enim legitur: Exierunt Pharisei et caeperunt conquirere cum eo, quarentes ab illo signum de caelo, tentantes eum. (Marc. 8. 11.) 2°. Quia licet multa miracula jam aut vidissent, aut certa ex fama cognovissent, nihilominus in sua incredulitate perstabant. Numquid hominibus tam male affectis debuit Christus nova prodigia, pro eorum arbitrio, concedere?

#### ARGUMENTUM II.

##### Ex Christi Resurrectione.

Si Christus a mortuis vere surrexerit, sua stat Religioni Christianae suaque missioni Christi veritas, et divinitas; fieri quippe non potest, ut Deus quem summè bonum, veracem, sapientem et providum nobiscum agnoscunt Deistae, impostoris fraudem eo confirmaverit testimonio, quo majus dari nequit; ex omnibus enim testimoniis nullum est splendidius miraculo, et inter miracula nullum.



gnius est resurrectione mortui: atqui Christus verè à mortuis surrexit; nam factum illud certissimum est, cujus testes nec decipi potuerunt, nec decipere voluerunt, nec etiam potuissent, si voluissent. Tres sunt illius argumenti partes seorsim demonstrandæ.

Prob. 1<sup>a</sup>. Pars: Testes plurimi ad credendum minimè proclives, circa illud factum decipi non potuere, quod ipsis non semel aut iterum, sed multoties; non seorsim tantum, sed conjunctim; non unius duntaxat, sed unanimi omnium sensuum testimonio, manifestatum est. Atqui 1<sup>o</sup>. multi fuere resurrectionis Christi testes; sic enim affirmat Sanctus Paulus: *Christus resurrexit tertia die secundum Scripturas, et visus est Cephæ, et post nos undecim; deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul, ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt. Deinde visus est Jacobo, deinde Apostolis omnibus, novissimè autem omnium visus est et mihi.* ( 1. Cor. cap. 15. v. 4, et seq. )

2<sup>o</sup>. Nimia credulitatis insimulari non possunt resurrectionis testes; siquidem eam credere pertinaciter primo recusarunt, ex ipsorumque narratione contra eos omnem hanc de re spem abjecisse; mulieres enim è monumento redeunt, Christum resurrexisse Apostolis nuntiant, et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, et non crediderunt illis. ( Luc. 24. v. 11. ) Deinde ipsimet Apostoli vel etiam propriis oculis statim non crediderunt, ut refert idem Lucas. *Stetit Jesus in medio eorum. (Apostolorum scilicet et Discipulorum) ... conturbati verò existimabant se spiritum videre, et dixit eis... Palpate et videte quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere... Adhuc autem illis non credentibus... dixit: habetis hic aliquid quod manducetur? at illi abstulerunt ei partem piscis assi, et favum mellis; et cum manducasset, reliquias dedit eis.* ( v. 36. et seq. ) Aberat Sanctus Thomas cum Apostolis Christus apparuit: de iis quæ contigerant certior factus, negat se crediturum, nisi carnis et vulne-

rum Christi contactu rem compertam habuerit, nec prius dubium ancipitemque animum deposuit quam suis votis Christus annuisset; ex his omnibus patet Apostolos non fuisse ad credendum procliviores, sed potius ultrà modum dubitasse.

3<sup>o</sup>. Testes resurrectionis non semel et iterum Christum redivivum conspexere, sed multoties; siquidem ex Apostolorum Actibus: *Præbuit ipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei.* ( Cap. 9. 3. )

4<sup>o</sup>. Ex conspirantium simul sensuum relatione Christum à mortuis suscitatum cognoverunt, nempe ex visu, tactu et auditu; nam juxta Evangelistarum narrationem, eum sæpius viderunt, allocuti sunt, audierunt, sanctamque ejus carnem propriis manibus contractarunt.

5<sup>o</sup>. Testes illi, non singuli tantum seorsim, sed omnes simul Christum ad vitam revocatum viderunt; ex Scriptura enim plusquam quingentis fratribus eodem in loco congregatis conspiciendum se præbuit; ergo 1<sup>o</sup>. testes resurrectionis Christi non potuerunt decipi.

Prob. 2<sup>a</sup>. Pars; scilicet resurrectionis testes decipere noluisse. 1<sup>o</sup>. Quia manifestos sinceritatis caractetes præ se ferunt, ut jam exposuimus. 2<sup>o</sup>. Quia homo ita à natura comparatus est, ut ad fallaciam innumeris periculis malisque obnoxiam non sese ferat, nisi alicujus commodi vel à Deo, vel ab hominibus percipiendi spe alliciatur, et nisi fraudem aliis persuadere posse aliquantulum confidat: atqui si Christus non resurrexit, testimonium quod contra intimum conscientie sensum reddunt Apostoli, opus est periculosæ plenum aleæ, ut satis patet, nullaque vel omnino mercedis spes affulget, tum ex parte Dei qui mendacium abhorret, et præsertim mendacium ita sibi injuriosum, ut eum scelerati impostoris factorem et patrem faciat; tum ex parte homi-



num, à quibus nihil sperandum erat, præter contemptum, supplicia mortemque ipsam; et si ita stupidi fuissent Apostoli, ut aliquid boni temporalis ex sua fraude expectarent, ab insana illa credulitate eos liberasset eventus et experientia.

Persuadendæ autem resurrectionis Christi ipsis nulla spes esse poterat; utenim omittam difficultates, tum ex austera Apostolorum doctrina, tum ex eorum ingenio deductas, poterant Judæi, vel in medium prolato Christi cadavere, vel probato raptu, Apostolos mendacii convincere.

3°. Quia ad compingendam resurrectionis Christi fabulam, necessaria fuit omnium unanimis conspiratio et secretum inviolabile: atqui impossibile fuit ut de fraude tam infandâ silentium servaretur, tum propter conjuratorum conditionem; ex plebe enim erant, et inter eos non paucæ existebant mulieres, infirmum genus, garrulum, parùmque secreti tenax; tum propter numerum; nam quingenti saltem homines erant: qui autem fieri potuisset, ut ex tot doli consciis, nullus, vel animi levitate, vel studiorum diversitate, vel conscientie morsu, vel suppliciorum acerbitate, secretum sibi commissum proderet et vulgaret? tum propter sectatorum quos decepissent conditionem: scilicet tacendum erat, etiam quandò periclitari, torqueri, laniari videbant eos quos fefellerant, amicos, affines, parentes, filios, uxores; carissima illa capita poterat eorum unusquisque, vel uno verbo, supplicii mortique eripere, et tamen eos ad perferenda supplicia, mortemque subeundam hortantur et impellunt. Numquid tanta ferocitas inesse potuit hominibus, qui nihil nisi pietatem, caritatem et mansuetudinem spirant, suis in Epistolis, suis in Sermonibus, sua in agendi ratione?

4°. Quia vel Apostoli suam Christum resurrectionem prædixisse, illamque Judæis in suæ missionis argumentum proposuisse crediderunt, vel non: atqui in neutra hypothesi decipere voluerunt

Apostoli. Si enim persuasum habuerint Christum suam resurrectionem prædixisse in suæ missionis testimonium, et tamen non surrexerit, tunc agnoscere debuerunt, se ab eo miserè delusos, ipsum Pseudopphetam esse, nec ab eo quidpiam utilitatis sperandum: atqui repugnat homines numero plures et sanæ mentis, voluisse mendacium confingere in impostoris gratiam, à quo in re gravissima decepti sunt, et quem eam ob causam detestari debent et execrari. Si verò non crediderint Apostoli Christum suam resurrectionem prædixisse, tanquam certissimum suæ missionis argumentum, circa eam fallere noluerunt: tunc enim miraculum illud necessarium non erat; ad demonstrandam missionis Christi divinitatem; siquidem alia suppetebant prodigia et argumenta. A comminiscendo igitur resurrectionis Christi miraculo abstinuissent, ne veritati nocerent, eam falsis confirmando prodigiis; ergo 2°. decipere noluerunt resurrectionis Christi testes.

Prob. 3<sup>a</sup>. Pars: nempe Apostolos decipere non potuisse, etiamsi voluissent. Ad decipiendum enim necesse erat, ut corpus Christi è tumulo sustulissent, sicut finxerunt Judæi; alioquin, ostenso Christi cadavere, omnibus patuisset fraus Apostolorum; atqui non potuerunt Christi corpus tollere; triplici enim tantum modo illud exequi potuissent, scilicet aut per vim, milites ad sepulcrum excubias agentes profligando; vel per seductionem, custodes nimirum pecuniâ sollicitando et corrupendo; vel per callidam fraudem, eorum vigilantiam fallendo: atqui nihil horum dici potest.

1°. Quidem vim non adhibuerunt. Tanta enim audacia cum timido Discipulorum ingenio conciliari non potest: quis credat Apostolos, quorum Princeps ancillæ cujusdam ignobilis voce percussus, Christum juramento ter negaverat; quis credat, inquam, Apostolos qui omnes apprehensum Dominum fugâ deseruerant, ausos fuisse cum armatis



custodibus congregari, ut quem vivum defendere noluerant, mortuum raperent? Esto tamen Apostoli corpus Christi per vim auferre tentaverint; illud sanè fieri non potuit, quin ipsos inter et milites commissum fuerit prælum. Circumstantiæ igitur hujus dimicationis, clamores nimirum validi, pugnantium sanguis effusus, cadavera jacentia, fraudem Discipulorum omnibus manifestam et obviam fecissent; sed in hac hypothesi, quomodo Judæorum vindictam effugissent Apostoli? Quomodo post quinquaginta dies Christi resurrectionem mediâ in Hierosolymâ proposuissent, tanquam inconcussum ejus missionis argumentum? Quomodo tot Judæi ipsorum sermonibus fidem adjunxissent? Ergo 1°. vim non adhibuerunt Apostoli.

2°. Nec seductionem; tum quia inopes erant, et omni gratiâ apud alios destituti; tum quia impossibile est, omnes custodes officio suo defuisse cum omnia ex Judæis à quibus tumultu appositi fuerant pertimescere deberent; tum quia necesse fuisset, ut Apostoli iis omnibus secretum suum credidissent, quibus ad tale facinus utebantur; quis autem maximi momenti arcanum committat, non uni, sed plurimis quibus omnis ratio suadet ut secretum prodant, nulla verò ut servant? ad illud enim revelandum impellebant, sceleris horror, timor pœnæ, immunitas ab omni periculo, spes lucri cum remordentis conscientiæ levamine conjuncta: ergo 2°. etc.

3°. Nec callidam fraudem adhibuerunt Apostoli; namque vel corpus Christi fraudulenter subripuissent, custodibus dormientibus, vel iisdem vigilantibus; atqui neutrum admitti potest. Non primum: numquid enim verisimile est omnes simul custodes gravi somno fuisse oppressos? Deinde etiamsi illud concederetur, repugnat nullum ex militibus strepitu excitatum fuisse: frangendum enim erat sigillum, et revolendus ingens lapis. Secundum etiam dici nequit: nam vigilantibus custodibus:

custodibus, corpus furtim tollere non potuerunt Apostoli, nisi monumentum per effossam humum subeundo: atqui hæc hypothesi ridicula est; tum quia sepulcrum fuerat in rupe excisum; in illud proinde per cuniculos sese proripere non potuissent Discipuli sine immensis laboribus, et sine magno strepitu; tum quia lapis non fuisset fracto sigillo amotus, quod tamen testatur Scriptura: deinde extitissent aperta fraudis indicia; ergo 3°. non potuerunt Discipuli per fraudem et astutiam Christi corpus furari; aliunde nec per vim et seductionem; ergo illud non sustulerunt, ac proinde non potuerunt decipere, etiamsi voluissent; ergo, etc.

#### Solvuntur objecta.

Objic. 1°. Ut valeat Apostolorum testimonium, constare debet illos verum Christi corpus quod affixum cruci, in tumultuque depositum fuerat, vidisse et tetigisse: atqui illud non constat; siquidem ex Evangelistarum narratione, Christus ita apparuit, ut non corpus solidum, sed merum phantasma exhibuerit; sic apud Lucam (cap. 24. v. 31.) *evanuisse* dicitur *ex oculis eorum*; sic apud Joan. (cap. 20.) sub aliena forma, nempe hortulani, Magdalene sese obtulit; sic apud Marcum, sub imagine ignota Discipulis Emmaus visendum se præbuit; ergo, etc.

Resp. Neg. min. Corpus enim quod post Christi resurrectionem videbant Apostoli, idem esse ac illud quod affixum cruci, in tumultuque positum fuerat, iisdem argumentis constare potuit, quibus quotidie certi sumus, hanc vel illam personam eam esse quam heri vidimus, nempe ex visu, tactu, et auditu, etc. Ut omnis phantasmatis suspicio amoveretur, nonne Christus Apostolis manus et pedes ut palparent permisit? Nonne cum illis mensæ assidet, manducat, ipsisque reliquias porrigit? Hæc si corporis veritatem



non demonstrant, quo pacto constare poterit!

Ad primam autem probationis partem respondeo Christum apud Lucam dici ex oculis Discipulorum evanuisse, non quasi phantasmatum more per aëra dilapsus fuerit; sed quia ex visibili subito factus est invisibilis; illud patet ex textu Græco quem sic vertit doctissimus Henricus Stephanus: *Conspici ab illis desit*; porro quis dubitet corpus, licet verum et solidum, oculis statim subduci posse? Christus suam ante mortem, nonne corpus propriè dictum habuit? Atqui tamen interdum subito factus est invisibilis, ut liquet ex Joanne, *Judæi tulerunt lapides, ut jacerent in eum, Jesus autem abscondit se.* (Joan. 9. v. 59.)

Ad secundam probationis partem repono, Christum quidem sub formâ multiplici post resurrectionem suam apparuisse; sed illa diversitas cum veritate corporis facillè conciliari potest. Licet enim idem corpus solidum simul et eodem tempore varias induere formas nequeat, sub diversis tamen successivè imaginibus videri potest.

Ins. Juxta narrationem Evangelicam, Marfa-Magdalene, agnito tandem Christo, eum tangere gestiit, veritatis cognoscendæ cupida; repulsam verò his verbis tulit: *Noli me tangere.* (Joan. 20. 17.) At non aliam ob causam, ne tangeretur Christus prohibuit, nisi quia verebatur ne mulier illa errorem detegeret, scilicet nihil esse in suo corpore solidi; ergo, etc.

Resp. Neg. min. Si enim Christus ne tangere- tur à Mariâ prohibuisset, quia suum corpus soliditatis prorsuserat expers, merumque phantasma, cur in eodem Evangelio legitur sanctas quasdam mulieres ejus pedes tenuisse? Quorsum Apostolos hortatus fuisset, ut manibus carnem ejus contrectarent his verbis: *Palpate,* etc. verborum Christi hic genuinus est sensus: noli in amplectendis pedibus meis immorari; nondum enim discedo à terrâ; *Nondum ascendi ad Patrem meum;* id est,

non statim ad Patrem redeo, adhuc me videre tibi dabitur. *Vade autem ad fratres meos, et dic eis,* etc. quasi diceret Christus: non te remoretur longior amplexus, celeritate opus est, discipulos statim adeas, et me à mortuis suscitatum certiores eos facias.

Obj. 2°. Fieri potuit ut Diabolus corpus Christi è tumulo secretissimum in locum velociter transtulerit, ita ut ipsismet custodibus visus fuerit à mortuis suscitatus. Quidni enim potuit diabolus mortuum corpus tollere, quod vivum super templi fastigium transtulerat? Quo quidam facto facillè sibi persuaserunt Apostoli Christum, sicut prædixerat, redivivum esse; ergo decipi potuerant Apostoli.

Resp. Neg. ant. Fingi non potest diabolum corpus Christi furtim è tumulo rapuisse, ut suscitatus à mortuis crederetur; illa hypothesis repugnat, tum ex parte Dei, qui pro summâ suâ veracitate et sapientiâ permittere non potuit, ut Diabolus per simile prodigium Apostolos in errorem insuperabilem conjiceret, qui per orbem universum erat disseminandus; tum ex parte diaboli, qui non potuit velle patrocinari Religioni Christianæ, cujus ipsi maxime opposita est.

Obj. 3°. Illud factum nullam meretur fidem, quod pauci testes affirmant; alii autem numero plures negant: atqui factum resurrectionis Christi pauci testes, nempe Apostoli, affirmant; alii autem numero plures negant, scilicet custodes; ergo, etc.

Resp. 1°. Dist. maj. Illud, etc. si pars affirmans nec efficacissimis nitatur argumentis, nec eos habeat sinceritatis characteres, quibus destituitur pars negans. conc. maj. secus, neg. maj. Itaque testes, ex vulgari axiomate, non tam numerandi sunt, quàm ponderandi; si quod factum, v. g. referant et affirmant duo homines probi, tanquam oculati testes, et quorum interest illud inficiari,



certe prævalere debent centum testibus idem factum ex propria utilitate negantibus. Præterea resurrectionem Christi firmissimis et ineluctabilibus argumentis certam faciunt Apostoli; qui verò eam inficiantur, nihil nisi incredibilia merasque fabulas ex necessitate confictas asserunt.

Resp. 2°. Neg. min. 1°. Apostolorum testimonio non opponitur aliud contrarium, scilicet custodum; prorsus enim ridiculè testes dicerentur. Quà ratione cognoscere potuerunt utrùm Christus ab Apostolis raptus fuerit, an verò suscitatus à mortuis? Siquidem ut ipsimet asserunt, dormiebant. Hinc Sanctus Augustinus Synagogam joculariter sic compellat: *Dormientes adhibes testes, verè tu obdormisti.* 2°. Custodes numero non superant oculos resurrectionis Christi testes; non solum enim duodecim Apostoli, sed plusquam fratres quingenti Christum viderunt redivivum. (1. Cor. cap. 15. 30.) 3°. Si quales fuerint ex utràque parte testes paulisper attendatur, statim compertum erit, quibusnam fides sit adhibenda: in Apostolis eminent pietas, probitas, sinceritas, ut liquet ex dictis; quis autem de militibus idem dicere ausit? 4°. Apostolorum plurimi intererat Christi resurrectionem inficiari, si falsa fuisset; contra verò milites spe lucy ad eam negandam facile induci potuerunt. Denique innumeris splendidissimisque miraculis suum Apostoli testimonium confirmarunt; minimè verò milites.

Obj. 4°. Illud testimonium non valet, quod pugnat cum prædictione Christi: atqui testimonium Evangelistarum, etc. Christus enim promiserat se tertià die resurrecturum; si tamen Evangelistis credatur, ante diem tertiam resurrexit: nam die Veneris ad vesperam sepultus est, et die dominicà summo mane jam sepulcrum dimiserat; ergo, etc.

Resp. Neg. min. Non aliud prædixit Christus, quam quod evenisse referunt Evangelistæ; verba

scilicet Christi de tribus diebus integris non intelligenda sunt; eum enim loquendi modum usurpavit, qui Judæis familiaris erat, à quo si discessisset, non potuisset intelligi, et criminarentur Deistæ, eum insolitam dicendi rationem adhibuisse, ut facilius deciperet; solent quippe Judæi, cum aliquem vel dierum, vel annorum numerum computant, primum et ultimum includere; ex grat. ad numerum octo dierum, quorum ultimo infans circumcidebatur, pertinebant dies tam natiuitatis, tum circumcisionis, nullà habità ratione horæ. Idem apud nos usus est frequentissimus: si quis, v. g. ægrotare cœperit die Veneris desinente, et mortuus fuerit die dominicà, etiam ineunte, eum dicimus tribus diebus ægrotasse, et intrà tres dies interiisse. Cum igitur ait Christus apud Lucam: *Oportet Filium hominis... crucifigi et tertià die resurgere;* (cap. 24. 7.) illud accipiendum est, quasi diceret, *intrà tres dies*: atqui reverà illud ita contigit; mortuus est enim horà tertià vespertinà die Veneris, et resurrexit die dominicà; ergo Evangelistarum narratio cum Christi prædictione optimè cohæret.

Obj. 5°. Illa testimonia maximè dubia sunt, quæ inter se pugnant: atqui testimonia Apostolorum de resurrectione Christi, etc. nam ex Marco mulieres properarunt ad sepulcrum *valdè manè*; *orto jam sole.* (cap. 16. 2.) Ex Joanne *cum adhuc tenebræ essent;* (cap. 20. 1.) ex Matth. *vespere Sabbati:* (cap. 28. 1.) atqui hæc testimonia inter se pugnant. Quis enim conciliet vespertinum tempus cum valdè matutino, tenebras et obscuritatem cum orto jam sole? etc.

Resp. Neg. min. 1°. Enim in textu græco Matthæi, non legitur *vespere*, sed *serò*, quæ vox extremam alicujus temporis partem exprimit, non autem vespertinum tempus, quapropter hæc verba, *vespere Sabbati*, apud Matthæum eadem sunt ac ista, *cum transisset Sabbatum*, sive tran-



sacto Sabbato: atqui hæc duo *serò Sabbati* vel *transacto Sabbato*, et valdè *manè* secum non pugnant; ergo ex hac parte nulla est contradictio.

2º. Hæc verba, *orto jam sole*, non pugnant etiam cum istis, *cùm adhuc tenebræ essent*; nam oriente sole, jam omnes tenebræ non dissipantur, adhuc enim subobscuro est tempus. Præterea vox Græca quæ à nostro interprete sic redditur, *orto jam sole*, potest etiam sic verti, *sole jamjam ori-turo*, quod facilè cum tenebris conciliari potest; nam aoristus Græcus quem adhibet Evangelista, eam habet vim, ut designet vel rem quæ modò facta est, vel rem quæ geritur, aut quæ mox facienda est; ergo ex omni parte evanescit quæ objicitur contradictio.

Obj. 6º. Ad factum maximi momenti adstruendum, qualis est resurrectio Christi, non sufficit privata notitia, sed publica requiritur: atqui notitia resurrectionis Christi privata tantùm fuit; siquidem non nisi Discipulis manifestum sese præbuit Christus; ergo, etc.

Resp. 1º. Neg. maj. Si enim non sufficiat privata notitia legitimis comprobata argumentis, necesse est ut rem propriis quisque oculis viderit, et anceps dubiusque hæreat circà facta omnia, quorum non fuit testis oculatus: atqui illud absurdum esse nemo non videt. Sufficiunt igitur testes fide digni, quales fuisse Apostolos probavimus.

Resp. Neg. min. Aliquo enim sensu publica fuit Christi resurrectio, scilicet ex parte militum, ex terræ motu, ex vacuo sepulcro, quod omnibus scrutari licuit, et unde corpus rapere non potuerunt discipuli; ex Apostolorum testimonio fide dignissimo; ex miraculis quæ in nomine Christi patrabant Apostoli, et quibus ipsius resurrectionem confirmârunt.

Inst. Tam publica esse debet resurrectionis Christi, quàm ipsius mortis, notitia; ac proinde sicut in Judæorum omnium conspectu mortuus

est, ita è tumulto surgere debuit: atqui res non sic evenit; ergo non satis publica fuit resurrectionis Christi notitia.

Resp. Neg. maj. 1º. Simili ratiocinio Deum existere negant Athei: si Deus, inquirunt, existeret, veritatem hanc omnibus ita conspicuam facere deberet, ut nullus superesset difficultati locus, et omnes ad sensum cogeret: atqui res longè aliter se habet; ergo non existit Deus. Huic Atheorum argumento quidquid respondeant Deistæ, adversus eos in præsentî quæstione retorquebimus.

2º. Si Christus Judæis apparere debuisset, cur non pariter et Romanis? et quidem potiori jure; tum quia numero plures erant; tum quia Christi miraculis quæ Judæi viderunt, defraudati fuerant. Imò singulis hominibus eum manifestum fieri oportuit; nec semel tantùm, sed repetitis vicibus, alioqui meram illusionem oculis factam suspicati fuissent increduli. Iteranda etiam esset hæc manifestatio subsequentium ætatum hominibus, quorum jus æquale est; et sic Christus inter homines ad finem usque mundi commorari et familiariter vivere debuisset: quod absurdum est. Sapientissima igitur est ratio, quâ Christus resurrectionis suæ testimonia dispensavit, cujus etsi plura Judæis dedisset argumenta, nihilominus in sua incredulitate perstitissent; Lazarum enim mortuum et jam fœtentem, propriis oculis viderant redivi-vum, nectamen crediderunt. Si ipsis conspiciendum se præbuisset, eum non secus ac Lazarum occidere voluissent. Si verò ex eorum manibus evanisset ne iterum crucifigeretur, merum phantasma et spectrum se vidisse dixissent, quod suis oculis illuserat. His omnibus accedit, quod Judæi ob nefandum deicidium se tantùm beneficio prorsus indignos præstitissent.

Obj. 7º. Christus suæ resurrectionis testes selegit mulieres et Apostolos; ille autem delectus suspicioni locum præbet.



Resp. 1°. Nèdùm credulæ ultrâ modum fuerint mulieres resurrectionis testes, eam contra non crediderunt nisi difficillimè, ut patet ex Evangelistis. Mulieres, iisdem, quibus homines, sensuum organis instructæ sunt; in civilibus Tribunalibus admittitur ipsarum testimonium: ut quid ergo nullius esset momenti, ubi agitur de Christi resurrectione? Nonne factum est sensibile et oculis obvium? 2°. Illud factum non mulieres tantùm et Apostoli testantur, sed alii permulti, quos nec decipi, nec decipere potuisse demonstravimus. Apostolis facultatem concessit Deus testimonia sua innumeris confirmandi miraculis, quorum in genere probationis suama est autoritas.

Obj. 8°. Olim populùm decipit Senator Romanus, à se visum fuisse Romulùm in cœlo ascendentem testando; quidni ergo pariter populis fucum facere potuerunt Apostoli?

Resp. Neg. cons. et parit. 1°. Enim prioris facti unus profertur testis; cujus illud affirmare interfuit, ad effugiendum scilicet populi odium, qui Romulùm à Senatoribus interfectum fuisse vehementer suspicabatur: posterioris autem facti, nempe resurrectionis Christi, plures quàm quingenti testes fuerunt, quorum multi illius veritatem suo sanguine obsignârunt.

2°. Quod visum à se affirmat, nullo probat argumento Senator Romanus: resurrectionis verò Christi præcones et splendidis miraculis, et ipsâ morte suam confirmant testimonium.

3°. Facile fuit Romanis persuadere, Principem sibi dilectissimum inter Superos sedem obtinuisse; non potuit autem, nisi gravissimis argumentis, adduci orbis universus, ut hominem coleret cruci affixum, ipsiusque doctrinam cupiditatibus adeò ingrâtam amplecteretur.

## ARGUMENTUM III.

## Ex Prophetiis.

Illâ Religio divina est, quæ veris stabilitur Prophetiis, à Christo ejus institutore editis: atquæ Religio Christiana veris, etc. plurimæ enim in libris Evangelicis occurrunt. Tres duntaxat referemus, quarum 1<sup>a</sup>. Christum ipsum, 2<sup>a</sup>. Populi Judaici calamitates, 3<sup>a</sup>. Apostolos et Ecclesiam spectat.

## Prophetia Christum ipsum spectans.

Suis Discipulis prædixit Christus, à Judæis multa se peressurum, gentilibus tradendum quæ eum virgis cæderent, ludibrio haberent, cruci affigerent, et tertiâ die ad vitam se rediturum. *Ecce, inquit, ascendimus Jerosolymam, et Filius Hominis tradetur, Principibus Sacerdotum et Scribis, et condemnabunt eum morte, et tradent eum gentibus, ad illudendum et flagellandum, et crucifigendum, et tertiâ die resurget.* (Matth. 20. v. 18. et 19.) Atqui res eo modo evenisse quo prænuntiæ fuerant, ex libris Evangelicis compertum est.

Porrò hujusmodi eventus nullâ potuerunt humanâ sagacitate prævideri, et præter communem expectationem contigerunt. Nihil quippe egit Christus, quod vexationes illas provocaret; Legis enim Mosaicæ religionis cultorem sese exhibuit, ad eamque observandam alios hortabatur; Prophetâ erat verbis et operibus conspicuus, quæ suam omnem operam ad aliorum salutem conferebat, et cujuscumque generis morbos sanabat; publicis gentis Judaicæ negotiis nunquam sese immiscuit; omnium virtutum exemplar fuit absolutissimum. Quis igitur suspicari potuisset, eum tot probris et cruciatibus esse afficiendum?